Adrichem, Christian van: Vrbis Hierosolymae quemadmodvm ea Christi tempore florvit, et suburbanorum eius breuis descriptio: De Locis, Item, Qvae Iesv Christi & Sanctorum Passione ac gestis nobilitata sunt aliarumque insigniorum historiarum breuis Commentarius ...
Köln, 1592 Seite 50

culos. In cuius vtroque humero erant ſinguli Lapides Onychini auro incluſi, quos Ioſephus ſardoniches vocat: quorum ſingulis inſculpta erant ſena nomina filiorum Iſrael.

His accedebat Rationale iudicij, quod ſuper pectus ſuum portabat, in quo erat doctrina & veritas. Erat verò illud quadratum quiddam, magnitudinis palmi, ex auro, hyacintho, purpura, cocco, byſſoq; textũ cui intexti duodecim lapedes pretioſi & diuerſi, ordine natiuitatis inſculpta habebant nomina duodecim filiorum Iſrael. Quin etiam ad hoc genus pertinet Tiara ſiue Cidaris, quam ſuper caput Pontifex geſtabat: quæ ex byſſo facta, & hyacinthis coronata, mitræ formam exprimebat. Cuius fronti Lamina aurea, forma ſemiorbis præfixa, nomen ineffabile Dei tetragrammaton his quatuor Hebraicis literis יהוה inſculptum cum ingenti fulgore exhibens Diuinę Maieſtatis celſitudinem figurabat. Ad hunc ornatum Pontificium etiam referendũ puto, quòd dextra manu Thuribulum tenens aureum, fragantiſsimo thuris odore Deum colebat.

Quæ vt omnia myſterijs erant plena, ita quædam diuina virtutæ excellebant. Lapis enim ille quem Pontifex in dextro humero ferebat, quoties Deum ſacrificijs placaſſet, tantũ emittebat ſplẽdorem, vt eã procul intuentibus conſpiceretur. Et quod non minori admiratione dignũ videtur, duodecim lapides, qui Rationali intexti erant, pugnaturis victoriam prænunciare ſolebãt. Nam priuſquã exercitus ſe moueret, tãtus ex eis emicabat fulgor, vt toti populo ad-

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/adrichem1592/0079
gefördert durch die DFG